



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Controversiarvm Omnivm Hvivs Ævi Lvthero-Calvinisticarvm Libri Tres

Coppenstein, Johann Andreas

Mogvntiæ, 1627

XXIV. Sanctorum Imagines an, & quatenus sint venerandæ?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-35233**

ymbra Petri, *Act.* 5. quos tangebatur, ægros pertanabat in plateas expositos. Pauli quoque sudaria & semicinctia, *Act.* 19. ad ægros delata tactu sanitates faciebant.

III. Meum verò *Sepulcrum*, tum aliis ab causis, tum reliquiarum Sanctitate ac veneratione *gloriosum* fore prædixit verè *Isaias*, c. 11. Id quod sic recte interpretatus & expertus est S. Hieronymus; qui gloriam sepulcri Dominici fat admittari, venerarique nequibat.

IV. Quod si honorem istum Sanctorum ossibus debite liciteque exhibitum voluit Deus in Veteri Testamento: quanto iustius ille defertur meorum Amicorum reliquijs in Testamento gratiæ?

1. Merito suo laudatur Moyses; quòd *Exod.* 13. secum ossa Iosephi exportavit in locum terræ sanctæ digniorem: Quales hodie Sanctorum translatio ratione multò iustiore frequentatur in honorem meum, Patrisque gloriâ insigniorè.

2. Quin Deus ipse Moysis sui reliquias honoravit sic, ut in secretiorem eas tumulum inferret. *Deut.* 31.

3. Mortuos suscitare, solius Dei est; cui verò eandem donavit gratiam Deus, permagni honoris est argumentum. Atqui eo Deus, 4. *Reg.* 13. ossa Helisæi fuit dignatus, ad mortui suscitationem solo tactu fortuito procuratam.

4. Rex Iosias Idololatrarum fana, & sepulcra evastabat, ossibus in cineres redactis; At solas prophete sancti reliquias sanctè iussit aservari. 4. *Reg.* 23.

Quò detestabilior blasphemia est Lutheri in l. de abolenda Missa: *Deo*, aiebat, *nihilo maior cura est de Sepulcro suo, quam de bobus.*

## QVÆSTIO XXIV.

*Sanctorum IMAGINES an, & quatenus sint veneranda?*

### XLIX. ANTICHRISTIANISMVS.

LUTHERANI ægrè, CALVINIANI minimè vel tolerandas esse volunt: Neutri verò vel tantillum venerandas pernegant, quin & omnem earum cultum detestantur. Docui in meo *Luthero-calv.* p. 1. q. 70. *Mendace Antipap.* p. 1. q. 7. & in *Genealog.* p. 1. q. 24.

CHRISTVS. Sacri sacris debentur honores. Religionem autem rebus facit aut sua ipsarum conditio sacra, ut est Verbum Dei, & S. Sacramenta; aut institutio autoritasque virorum factorum, & finis rerum: ut imagines meæ atque Sanctorum.

1. Hisce Signis quia reuerentia Christi ac Cœlitum proponitur; iisdem religiosa quoque reuerentia debetur, quæ in rem significatam rite referatur. Sicut præcepi, *Mat.* 5. *Nolite iurare per Cælum, temerè; quia thronus Dei est; neque per terram, quia scabellum est pedum eius.*

Sanctè iurare licet, quia actus religionis est, Deo primario debitus, secundario terræ vel cœlo, ut Dei creaturis, quatenus relationem habent ad Deum. Sic & cum sacris imaginibus res habet.

2. Quod si creaturæ censentur Sanctæ ob relationem suam ad res sacras, quibus adhibentur: Vt *Exod.* 3. *Locus, in quo stas, terra sancta est*, ob Angeli sc. præsentiam. Vt *Exo.* 12. *Dies Pasche sancta & venerabilis erit*, ob significationem Agni. *Exod.* 28. *Vestis sanctæ Sacerdotum;*

Iſa.

Isa. 11. *Sepulcrum meum erit gloriosum*: 2. Tim. 3. *Ab infantia Sacras Literas nosti*. Sacra, quia signa rerum sunt sacrarum. Ita iustus iubetur, *ut Phil. 2. in Nomine IESV omne genua fluctatur*. Quid est igitur cur Sacre imagines minus honorentur; cum æquè rerum sint Sacrarum signa?

3. Ideo, saluo Decalogo, *Exod. 25*. Cherubini supra Propitiatorium honorierant: Et serpens æneus, *Num. 21*. Quæ rectè huc interpretantur S. Hieronymus *ep. ad Marcellam*, & S. Aug. *l. 3. Trin. c. 10*. Itaque *Pf. 95. Adorate scabillum pedum eius*: hac enim humilitate Ipse Deus adoratur: ita quoque in iconibus ad ipsius ac Sanctorum honorem institutis.

## QVÆSTIO XXV.

*An CRUX sit veneranda?*

### L. ANTICHRISTIANISMVS.

**L**UTHEROCALVINISTÆ nec cruce[m] ferunt Christi, neque cultum eiusdem. Patet in mea *Genealog. p. 1. q. 25. & in Luthero-caluin. par. 1. q. 82.*

**CHRISTVS.** Tria blasphemant inimici Crucis meæ: Lignum, Signūque Crucis Permanens, ac Transiens, & debitum illis honorem sacrum abnegant: sed suo pte, sectatorumque malo.

**I. LIGNVM S. CRVCIS** ipsum venerandum est optimo cuique:

1. Quia illud ego elegi, dicens, *Ioa. 10. In hoc ego pono animam meam, & nemo tollit eam à me*. Quippe, *Isa. 53. Oblatus est, quia ipse voluit*. *Act. 3. Deus, qui prænunciavit per os omnium prophetarum pati Christum suum, implevit SIC.*

2. Quia Crux ea fuit Ara meà; & Ego Sacrificium ac Victima, *Colof. 1. Hebr. 7. Pacificans per Sanguinem Crucis omnia*. In cuius typum Iacob, *Gen. 20.* crexit lapidem, vixit, & vocavit Domum Dei.

3. Quia Crux ea fuit Scala mea ad regnum. Vnde dixi *Ioan. 12. Nunc princeps huius mundi eijcietur foras: & Ego si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum*, Ideo *Phil. Humiliaui memetipsum factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis.*

4. Quia Crux ea fuit Redemptionis innocuum instrumentum, & lectulus quietis meæ, ceu Figuræ prænotarunt, quas collegit *Damasc. l. 4. de fide. c. 12.* Ut Lignum vitæ, *Gen. 2.* Arca lignea, domum Noe seruans, *Gen. 8.* Virga Moyses, *Exo. 14.* mare aperiens. Lignum, *Exod. 15.* dulcorans aquas. Serpens æneus, *Gen. 18.* exlatus. *Ioa. 3. Sicut exaltavit Moyses. &c.* Vnde *Gal. 6. Vos igitur gloriari oportet in cruce Domini nostri IESV Christi, in quo est salus, vita, & resurrectio.*

5. Quia Cruce diabolum vici, ac triumphavi. Quò rectius de me, *Gal. 6. Chirographum decreti quod erat contrarium nobis, tulit de medio, affigens illud cruci, expolians principatus & potestates traduxit palam confidenter, triumphans illos in semetipso: vel ἐν δυνάμει τοῦ σταυροῦ*, iuxta *Orig. hom. 8. in Iosuen & Theoph.*

**II. SIGNVM PERMANENS S. Crucis** quodcunque venerabile est: ut de quo dixi, *Mat. 24. Tunc apparebit Signum Filij hominis in celo*. Id quod Calvinus, Musculus, Matloratus, negant de cruce accipiendum: At contra S. Patres *Orig. Chryf. Hier. Hilar. &c.* Cum itaque sit